nimium addicti, animum deforis haud intùs in extraneis ſcilicet, ac mortalibus rebus inquirebant. Quare ad hunc errorem corrigendum, atq; humanũ animum ad ſe ipſum avocandum, (quod Ethnicos Philoſophos profectò latuit) paucis admiranda, & feliciſſima porrò inveſtigatione incomparabilis aperuit Auguſtinus, pronuncians, Animum nihil aliud eſſe præter Animum, ac ut ſe ipſum cernat, ſe ipſo dumtaxat indigere, qui cum, quidquid ipſe non eſt, a ſe rejicit, a ſe nempè extraneum, quod addidit, detrahens, ſé confeſtim intelligit, quo nihil ſibi notius, præſentius, ac manifeſtius. Quæ cum diligenter expendiſſem, illorum inſaniam irridere ac deteſtari cæpi, qui corpora Animo certiora, & notiora eſſe exiſtimantes, ibi cæcutire ubi vident, ibi videre, ubi cæcutiunt, perperàm opinantur. Ex quo duo ſibi mutuò adverſantes errores originem traxerunt, quorum altero ea ignorare, quæ ſcimus, altero verò ea ſcire, quæ ignoramus, inconſideratè putamus. Dum autem Animus Methodum, ſe ipſum inquirendi ab Auguſtino haurit, atque in uſum vertit, & ſe nulla corporum mole tumere & immortali vita perfrui, evidentiſſimè intelligit.

En tibi, quidquid ex Auguſtini Operibus ſummo labore, ſummaque diligentia ad Animæ naturam, & inſigniores affectiones evelandas deprompſi, Amice Lector exhibeo ut te ipſum rectè inveſtigare ediſcas, corpora contemnere, ſpiritalia verò amare, & quærere aſſueſcas, ac demũ interiori rationis oculo in tui ipſius receſſibus, & penetralibus tuæ mentis ſempiternam, ac penè Divinam naturam inſpicere quavis rejecta dubitatione valeas. Serò tamen, quæ a multis annis excogitaveram, in lucem prodeunt, non quia ab huiuſce Operis evulgandi voluntate aliquando receſſerim, ſed quia adverſo fato, pluribus vexatus calamitatibus, rerumque domeſticarum moleſtia, & ſollecitudine diſtractus, ea minimè tranquillitate perfruebar, qua magnoperè Sapientiæ ſtudioſus indiget, ut totus in ſe collectus, ſe ipſum potiſſimum perſcrutari, ac ſcientias, & diſciplinas excolere, ac promovere poſſit. Cum autem poſt tot immites procellas, quæ huc illuc infeliciter me jactaverant, in Patavino Lyceo tutiſſimum, ac ſerenum portum ſalutarem, ſtatim ad haſce meas elucubrationes concinnandas me converti, ut ea, quæ ex meæ rationis uſu, & ex Auguſtinenſium librorum lectione hauſeram, tanquam Societatis membrum, cæteris aperirem. Hoc bonum, præter omnium bonorum elargitorem Deum, illi debeo, qui & benefcentiſſimus Mecænas meus, & vigilantiſſimus Patavini Gymnaſii Moderator eſt, atque Senatoriæ virtutis viribus, Eloquentiæ gratiis, & excelſæ Proſapiæ magnitudine verè maximus. De SEBASTIANO FOSCARENO loquor. Vir non modò ob inclytas, ac ſplendidiſſimas